

05
A
718



SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM

Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS

Generatim consideratis

DISPUTATIO IV.

De

ARGUMENTIS PAPISTARUM, QUÆ

RELIGIONI LUTHERANÆ IN GE-
NERE OPPONUNT.

Quam

SUBAUSPICIOSS. TRINITATIS

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Th. D. & Profess. publ.

Placidâ συζητήσει ventilandam exhibet

M. BALTHASAR BALDUINUS

Dresdensis Misnicus,

*Addiem 31. Augusti horis pomeridianis,
in Auditorio minori.*

WITTEBERGÆ,

*Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M DC XXV.*






05 A 718





THEOREMA I.

Inepta sunt argumenta, qua Pontificii & imprimis Tannerus contra Lutherum, ipsius vocationem, reformationem, vitam & scripta proferunt.



1. Nemadmodum olim Cleri Hierosolymitani, cum in doctrina Johannis Baptiste & Salvatoris nostri Christi, quod reprehenderet, non invenirent, de vocatione controversiam illis movebant. Ad præcursorum quidem Christi Johannem, qui Hierosolymis missi erat Sacerdotes ac Levitæ, Pharisæicæ factionis affæclæ, dicebant: *Cur Baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec propheta?* Joh. 1, 25. Ad Christum vero in templo docentem & miracula edentem accedunt principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores populi quæfètes, in qua potestate *κυρια εξουσία isthac faciat*, & quis illi hanc potestatem dederit? Matt. 21, 23. Marc. 11, 27. Luc. 10. v. 1.

2. Pari ratione Clerus Papisticus successionem in sede Apostolica non minus quam Clerus Hierosolymitanus in sede Aarónica sibi soli arrogans, cum in doctrinâ Lutheri ad Propheticos & Apostolicos libros examinata, quod jure reprehendat, nuspian inveniat, questionem de vocatione illius, reformatione, vita & scriptis movet.

3. Primo quidem, Vocationem B. Lutheri quod concernit: hic distinctionis lima & notâ opus esse arbitror. Distinguendum ergo est inter vocationem (legitimam) *Mediatam & Immediatam*, vel *Ordinariam & extraordinariam*. Illam dico, quæ fit à Deo, ministerio Ecclesiæ suæ, certo ordine & legibus in verbo divino expressis. 1. Tim. 3, 1. Tit. 1, 5. Hanc quæ fit ab ipso Deo absq; Hominum ministerio, Gal. 1. v. 1. Et hanc perfecit Deus vel (1.) *ipse met absq;* ullo internuntio, qualis fuit Mosis, Eliæ, Baptiste, Apostolorum. Vel (2.) adhibitis quibusdam *internuntiis*: sic Aar-

Vocat. Lu-
theri impu-
gnatur.

*Status con-
troversiae.*

nem per Moien, Eum per Enam vocavit. ver (3.) jone, ut Mat-
thiam Act. 1,24. Jam quæritur an B. Lutherus fuerit mediate vel im-
mediate ad ministerium vocatus? Quoad prius dico, fuisse mediate
vocatū quod probo. (1.) Quia ord. nat⁹ fuit Presbyter anno 1507.
anno ætatis 24. ubi in ordinatione & inauguratione suā accepit
potestatem docendi verbum Dei: Ad quam ordinationem ipse
provocat Tom. 2. Ien. germ. fol. 279. b. Ich bin von euch (ei-
ner ganzen Chrisslichen Gemein) zum Predigampt berufen habe
einen Göttlichen Befehl / daß ich die Gemeine Gottes alhie mit
dem reinen Wort wenden sol. Nos quoq; hanc vocationē contem-
nere non possumus, quia facta est ab iis, qui sunt in ordinario
atq; divino officio, qui non minus ordinare potuerunt mini-
stros Ecclesiæ utiles, atq; olim Caiphas atq; Hannas, Zachari-
am Sacerdotem & similes.

4. (2.) Quia vocatus fuit anno 1508. à Johanne Staupitio
Augustinianorum Generali, acedente confirmatione & consen-
su Electoris Friderici II. ad professionem Theologicam, in Ec-
clesia & Academia nostra Wittebergensi. In qua vocatione me-
diatā vigore statutorum Academicorum ipsi dictum: *Vestrum est*
legem divinam interpretari & librum vitæ docere.

5. (3.) Quia in solemni Doctoratus actu Anno 1512. consensu
totius convētus Augustiniani instituto, potestatem accepit veri-
tate doctrinæ cœlestis cōtrà quosvis ἐπεροδόξος viva voce & scri-
ptis defendendi: quā ob causam toties ad Doctoratum suum ipse
provocat, ira ut ne quidem dignitatem istam cum omnibus
mundi thesauris sit permutaturus, quippe in quā bonam partem
vocationis suæ sitam, judicet. Sic enim ait, Tom. 5 Ien. germ.
fol. 76. b. in explicat. Psalm. 82. vers 1. Hier sprichstu vielleicht zu
mir? Warumb lehrest du denn mit deinen Büchern in aller Welt/
so du doch allein zu Wittenberg Prediger bist? Antwort. Ich habe
es nie gern gethan / thue es auch noch nicht gern / ich bin aber in solch
Amp̄t erstlich gezwungen vnd gerrieben / da ich Doctor der heiligen
Schrift werden muste / ohn meinen Dancf. Da sing ich an als ein
Doctor damahl von Päpstlichen vnd Kaiserlichen Befehl / einer
gemeinen freyen hohen Schulen / wie einem solchen Doctor nach sei-
nen geschwornen Amp̄t gebühret / für aller Welt die Schrift aufzu-
legen /



Wesen kommen bin / müssen darinnen bleiben / kan auch noch nicht mit gusen Gewissen zurücke / oder ablossen / ob mich gleich Papst vnd Käyser darüber verbanmen. Denn was ich hab angefangen / als ein Doctor / auf ihren Befehl berufen vnd gemacht / muß ich wahrlich bis an mein Ende bekennen. Hæc Lutherus de vocatione sua mediata.

6. Quod attinet immediatam vel extraordinariam vocationem, negari nec debet nec potest, in Ecclesiastico Lutheri munere, a:q; in exactione ordinariæ ipsius vocationis præsertim, quod reformationis opus & Antichristiani regni oppugnationem spectat, aliquid extraordinarij concurrere, quod cum immediata & planè extraordinaria Apostolorum vocatione non quidem omni ex parte congruit, interim tamen suprà communem reliquorum ministrorum mediatè & ordinariè vocatorum sorte, Lutherò ministerium evexit. Ad illa extraordinaria & particularia referimus. (1.) *Oracula & Prophetias de opere reformationis & Antichristi revelatione* Lutheri ministerio peragendis. *Dan. 8 v. 25.* cap. ii, 44. *Ierem. 51, 48* *Malach. 4, 5, &c.* (2.) *Excellentia & singularia* Lutheri, *dona*, quæ in scripturæ neroſa & fundamentali explicatione, ejusq; ad doctrinam, consolationem & ἐλεγχον accommodatione & aliis quam plurimis donis, eluent (3.) *Animum* Lutheri *heroicum* & in periculis etiam maximis imperterritum. (4.) *Mirandam* & planè singularem adversus insidias & violentiam adversariorum conservationem. (5.) *Vaticinia* ab ipso de rebus futuris edita, quibus etiam eventus magna ex parte jam dum respondit. (6.) *Mirabilem* & *felicissimum* Evangelicæ prædicationis *successum*.

7. Sed quid ogganiunt nobis Pontificii, obesæ naris sunt, frigidisq; suis argumentatiunculis probare conantur: Lutherū nec vocationem mediata m nec immediata habuisse, ideoq; multi multa partim mēdacia partim mera scoptica ore infreno contra vocationē tūm Immediatam tūm mediata Lutheri, blaterant. Sic enim scribit Bellarm. l. 4 de notis Ecclesiæ cap. 14. *Qui mittitur debet ostendere testimonio ejus, à quo mittitur, suam autoritatem, alioqui nemo tenetur eum recipere, omnis autem, qui mittitur ad*

Et quidem

i.

Mediata.

præsumendum, immo ut super orationes praecisas, vel orationes
nec à solo Deo. Et quidem qui mittitur per ordinarium Prælatum, debet
ostendere testimonium ordinarij Pastoris Prælati, nimis literas ejus si-
gillo munitas, qui vero mittitur à solo Deo, debet ostendere sigillum Dei,
quod nihil est aliud, quam miraculum. Ex quo postea concludit:
Lutherus omni omnino missione ac vocatione carere, cum nec extraordi-
narié à solo Deo, nec ordinarié per Prælatos sit missus Eundem ferè mo-
dum argumentandi usurpant Becanus, Lessius & imprimis Tan-
nerus, qui in Anatom August. Confess Demonst. 5. pag. 85 mul-
ta corrasit contrà mediatam & immediatam Lutheri vocationē.
Quorū argumenta præcipua ordine paucisq; examinare placet.

8. Primo quidem de mediata vocatione Lutheri hoc urgent
& imprimis Bellarminus l. d. quod non sunt veri Pastores qui non sue-
runt per manum impositionem à veris Pastoribus ordinati. Lutherus vero
non fuit per manus impositionem à veris Pastoribus ordinatus, non à suis,
ipse enim est primus, neq; ante eum fuere Lutherani: nec à nostris, sequidē in
Ecclesia Catholica non fuit Episcopus, sed presbyter, jam vero presbyteri non
habuerunt ordinandi potestatem. Sed respondemus i. Bel-
larminus aliud quærerit, aliud probat & probare nititur. Quæstio
est, an Lutherus habuerit legitimam vocationem? Negat Bel-
larminus, & probat ex eo, quia Lutherus non fuit per manus
impositionem à veris Pastoribus ordinatus. Illud cum debeat ul-
teri⁹ probare, addit, Lutherus non est ordinatus à suis, ipse enim
est primus, neq; ante eum fuere Lutherani, nec à nostris, siquidem
in Ecclesia Catholica non fuit Episcopus, sed Presbyter, jam vero
Presbyteri nō habuerunt ordinandi potestatem. At posterius hoc
membrū non pertinet ad quæsitū, neq; rectè subsumitur sub pri-
oribus. Sic enim debebat Bellarminus subsumere. Lutherus nō fu-
it ordinatus nec à suis, nec à nostris; quod contrà manifestam
historiæ fidem fuisset negatum. 2. distinctio illa inter Episcopū &
Presbyterum non est juri⁹ divini, sed tantū ordinationis huma-
næ: quippe cùm nullum habeat fundamentum in scripturis.
Nam Paulus i. Cor. 12.28. Eph. 4,ii. in catalogo graduū ministerii,
nullam mētionem facit Episcopatus & presbyterii: vicissim Epi-
scopi & Presbyteri promiscuè usurpat: quia presbyteri vocantur
Episcopi Act. 20,17,18 Phil. 1,1 Tim. 3, 2. Tit. 1,5,6,7, & Episcopus
vocatur Presbyter, quia Apostolatus idem est ac Episcopatus.

Act. i.



Pet 5,1. & Apostolum Paulum se vocare Presbyterum constat ex collatione locoru. i. Tim 4,14 & 2. Tim 2,6. Veteres etiam nullū discrīmen jure divino agnoscunt inter Episcopum & presbyterū.

3. Falsum quoq; est, quod jus ordinandi tantum sit penes Episcopos. Nam ordinatio est totius Ecclesiae, quæ per ministeriū expeditur, & ordinariè quidem per Antistitem loci, quem Episcopum seu Superintendentem vocant: In defectu tamē Episcorum, et iam Presbyteri ordinare poterant: quēadmodū Paulus ordinationem tribuit nō Episcopo seorsim: sed Presbyterio. i. Tim. 4,14.

9. Secundò dicunt: *Lutherus non fuit ordinarie vocatus & missus, quia nō fuit ipsi collata potestas & jurisdictionis*. Sed quam potestatem & jurisdictionem intelligunt Papicola? Certè potestatē ministerii, potestatē docendi verbū, & sacramenta administrandi, potestatē clavium &c. Ea omnia B. noster Lutherus in vocatione & ordinatione suā accepit; quid enim aliud est *ordinatio & vocatio, quam talis actus in quo & per quem potestas docendi, sacramenta administrandi, clavium usum exercendi &c. certae alicui personae traditur.* Quod si verò per potestatem & juris dictionem intelligent talem potestatem & jurisdictionem, qualem Episcopi Pontificii sibi arrogant, facile concedimus, talem potestatē & jurisdictionem secularem Luthero non fuisse datam.

10. Tertio objiciunt: *Si Calvinus missus est à Deo, Ergo Lutherus à Deo missus non est, & ē contrario: Alias Spiritus Dei sibi ipsi adversaretur.* Sed respondemus: tenendam ante omnia esse tritam illam regulam: *Doctrina probat Doctorem.* Qui ergo docet veritatem & Dei verbū, ille, quatenus hoc docet, verus doctor & minister est. Aliud ergo est legitima vocatio seu missio, aliud illegitima illius vocationis usurpatio: hæc illam tollere non potuit. Legitimè usus fuit Lutherus vocatione & ordinatione suā, quam accepit ad docendum verbum Dei & pravas doctrinas non dogmatisandum: quod hoc Calvinus neglexit, id propterea vocationem ejus illegitimam facere non potuit. Non autem omnis qui legitimè vocatus est, eo ipso à Deo missus Doctor est, sed quādo vocationem legitimā ritē usurpat. Ita multi hæretici legitimè vocati sunt, sed quatenus hæretici, vocatione sua abutebantur. Rectè ergo Aug. l. 2. de unit. bapt: *Aliud est non habere aliquid, aliud est non jure habere, vel illi citè usurpare.*

ii. Quar-



vocationem proferunt est. Quia nos vocationem & ordinationem in Papatu factam tantum pro inanibus nugis & ludibrio habemus. E. vocatio Lutheri merum erit ludibrium. Distinguendum est inter Vocationis substantialia & inter jus ipsum vocandi: Vocatio & ordinatio in suis substantialibus etiam in Papatu legitima esse potuit. Et hæc substantialia vocationis sunt consensus totius Ecclesiæ: ordinationis vero, preces, & ministerii demandatio. Et hæc omnia in creatione & ordinatione, quæ fit in Papatu nō improbamus, neq; quisquam ex nostris simpliciter ejusmodi vocationem & ordinationem ludibrium appellavit. Sed quod Episcopi præsbyteris jus vocandi ad se solos rapuerunt, quod in ordinatione multa absconsona, & ridicula interveniunt, ut est rasura, unctio, lustratio corporis, ne claudus, mancus, aut alio vitio corporis notatus, admittatur, ne aliqua debilitas, deformitas, vel impotencia adsit: Hoc revera nugis & ludibriis similius est, quam actioni seriae, nec tamen quidquam substantialibus ordinationis præjudicare potest. Hæc de argumentis præcipuis quæ pontifici contraria mediatam Lutheri vocationem proferre solent, dicta sufficiant.

2. Immediata.

12. Immediatam & extraordinariam vocationem his se è argumentis destruere reformationemq; à Diabolo ortam esse, probare conantur: quâ occasione diris modis in vitam & scripta Lutheri invehunt. Sed videbimus, quād arguti sint sophistæ & impudentes calumniatores. Esavitæ præsertim Cacodæmonis jurata mancipia. (1.) Ajunt, Eos quorum mores plane contrarij sunt & indigni Apostolicis viris, qui ad Ecclesiæ Christianæ reformationem à Deo immediate missi censeantur, non est credibile à Deo immediate ad hoc munera esse missos: At Lutheri mores, ex quod ab Ecclesia Catholica defecit, plane contrarij fuerunt, & indigni Apostolico viro, qui ad Ecclesiæ Christianæ reformationem immediate, à Deo missus censeretur. Ergo non est credibile illum à Deo immediate ad hoc munera esse missum. Maj. probant ex dicto Christi Matt 7.v.15. Attende à falsis Prophetis &c. A fructibus eorum cognoscetis eos, Minorem vero meritis nugamentis probare conantur, quādo dicunt: Mores Lutheri à reformatione fuerunt Apostasia, sacrilega falsationiscri-

gantia intolerabilis, spurca & diabolica maledicentia in Deum & homines, &c. Et hæc sexcenta alia proferunt ex mendacissimis suis Historicis, ex Prateolo, Cochleo, Petro Sylvio, Fontano, Lindano, Genebrardo, Copo, Bredenbachio, Serario, qui omnes tales nugas de B. Luthero excogitarunt, & ita rudem plebeculam q. fascinârunt. Ast linguæ vitiliginem graviter exercent, ut rudis plebeculae aures pascant, quas hujusmodi mendaciis facile patere noscunt. Etsi autem hæc omnia tanquam notoria mendacia, à nostris jam pridè protrita, sicco pede præterire possemus, præsertim cum juxtâ vocem Aeschynis mendax opprobrium vix ultrâ aures transeat, & ut Poëta dicit, mendax infamia terret non nisi mendosum & mendacem: quid tamen ad hæc mendacia responderi debeat, paucis attingam. Esto quod talia de Luthero scripserint dicti Historici: quid tum postea? num propterea jam evicta causa est? an non hi omnes Pontifici sunt, & doctrinæ Lutheri hostes infensissimi? sicut autem amico laudanti non credendum est: ita nec inimico detrahenti, ait Augustinus. Quam multa dira & atrocia excogitârunt Ariani contra Athanasium, cuius tamen innocentiam mendacia illa commaculare non potuerunt. Idem & accidit hac in parte Luthero nostro, quam nefanda excogitârunt de beata ejus *avælûdæ*, de natalibus, & morte. Multò alia imò innocentiam & sanctitatem Lutheri omnes iustitati sunt, qui cum ipso conversati, & veritatem candidè fateri voluerunt. Ipse Erasmus scripsit de Luthero libr. II. epist. *Hominu vita magno omnium consensu probatur. Iam id non leve prejudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nee bastes reperiant, quod calumnientur.* Patet hinc, vitam B. Lutheri omnino fuisse inculpatam, & si maxime non fuisset, nihil tamen decederet veritati divinæ, quippe quod & illi possint vera docere, qui consueverunt male vivere.

13. (2.) Ulterius ex arenis meros funiculos necunt Esavitæ, dum & hoc prætendunt: *Lutherum in doctrina sua etiam post ipsam, (quam singit) extraordinariam missionem errasse, quod nulli extra ordinem missio contigit.* Resp. (1.) Fundamentum huic collectionis v

B

substra-



falsissimum est: Aaron extra ordinem, & immediatè vocatus cum vix ante cap. 28 26. suo esset officio inauguratus, de vitulo abs se erecto docuit, quod hunc colentes solennitatem Jehovæ celebrarent. Exod. 32, 5: Quid verò errare est si hoc non est? Apostoli Salvatoris nostri post acceptam extraordinariam vocationem multipliciter errarunt, quando regnum messiae mundanum non spirituale somniabant. Matt. 20 21. Act. 1, 7. nec passionem illius credebant Luc. 18, 34. (2.) Errores Luthero assignati (si qui sunt) duplices possunt esse: 1. noviter inventi 2. veteres, at nondum depositi: vnde aliud est, in errorem labi, eumq; profiteri: aliud ex errorum fecibus, ac sordibus sensim emergere. Lutherus novum errorem abs se inventum non protulit, aut docuit: quamvis ex erroribus sub papatu haustis, unâ vice, ac subito non liberatus, sensim uno post alterum deposito emerget; quod novum in extraordinariis non esse, Apostoli suo nos exemplo abundè docuerunt. Si ergò Luthero simile quid accedit set homini accidisse meminerimus, qui nihil humanum à se alienum putavit.

14. (3.) Porro inferunt hoc modo: Impossibile est aliquem à DEO missum ad novam fidem (in mundo videlicet antea multis seculis inauditam) in orbem inferendam: Lutheri fides post defectionem prædicata erat nova & à pluribus autea seculis inaudita: E. impossibile est Lutherum fuisse à Deo missum ad suam ejusmodi fidem in orbem inferendam. Minorem probant: Quia ante Lutherum per decem secula & amplius nullus ostendi potest, qui in fide cum Luthero consenserit. Verū enim vero, si maximè nullum monstrare possemus, qui nobiscum eadem docuerit, sufficeret tamen, quod doctrina nostra congruit cum Apostolis, unde & Apostolica vocatur. Docuit S. Paulus Rom. 3. hominem justificari fide, absq; operibus, eadē fuit doctrina reliquorū Apostolorum omnium in concilio Hierosolymitano: in hanc fidem baptisatæ sunt ab Apostolo integræ familie: ad hanc fidem conformamus nostram, & in hac consanguinitate doctrinæ Apostolicæ gloriamur: quæ licet non semper pleno ore in publico proposita fuerit, nihil tamen hac præjudicare potest veritati, quia Ecclesia non semper habuit eundem nitorem, sæpeq;

in

pora Christi factum est.

15. (4) Objiciunt nobis & hoc Pontificij, quod ad immediatam vocationem requirantur miracula. Lutherus autem nulla miracula edidit. E. non habuit vocationem extraordinariam. Resp. i. ad propos. Mai: Negando illam, miracula semper requiri ad vocationem extraordinariam, sed potius contrarium demonstrabo, miracula neque ad vocationem ordinariam neque extraordinariam necessaria esse. (1.) Exemplo sacerdotum Veteris Testamenti. Vocabantur illi ordinariè, solus Aaron modo immediato Exod. 28. 1. & tamen sine miraculo. (2.) Exemplo Prophetarum Vet. Test. Extiterunt quidem Prophetæ signis, & miraculis clarissimi, in quibus Mosis. Deut. 34, 11 & Elias 1. Reg. 8, 38. 2. Reg. 1, 10, 12. eminent. Ast videoas Jeremiam, Ezechiem & cæteros minores Prophetas, & quodnam illi miraculum ediderint, dicas. (3.) Exemplo Pauli, cuius itidem vocatio fuit immediata; Credebatur illi & approbabatur ministeri à Berthoënsibus non ob miracula, sed scripturarum testimonia: scrutabantur enim quotidiè scripturas, si hæc, quæ à Paulo didicerant, ita se haberent. Act. 17, 11. (2.) Resp. ad Minorem Lutherum nunquam doctrinam suam miraculis confirmari voluisse: ipse enim probe novit, quod Diabolus etiam mira edere possit opera. Ideo scribit ad Nobilitatem Germaniæ Tom. 1. Jen. Germ. fol 293. Miracula nihil probant, præsertim in hoc postremo & exulcerato seculo, de quo miracula falsa prædicta sunt in omni scriptura: iustorum ergo est, verâ fide amplecti verbum, & Diabolus miraculis suis nihil proficiet. Ideoque nostro tempore nullis miraculis opus est, quandoquidem in Ecclesia vigere debet ea tantum doctrina, quam Christus proposuit, & Apostoli libris consignarunt, quæ satis demonstrata est per signa & miracula innumera etiam edita; non requiruntur alia nova. Tūtissimum ergo jam erit, in fidei controversijs non attendere externa signa, quæ sunt fallacia, dubia, & Pseudoprophetis communia, imò hoc ultimo tempore juxta prædictiones divinas, propria; sed potius sacrum consulere Canonem, quæ sibi semper constat, qui fallere nequit & hæreticorum errores apertissime prodit.

AB illo si doctrina dilcrepet, cenieatur rana, etiam illuc
longè maximis clareat. Si enim vel Angelus de cœlo, in eden-
dis signis potentissimus, aliud quiddam evangelizaverit præ-
terquam quod evangelizatum est, anathema sit. Gal. 1,8. Atque
hæc fuere præcipua argumenta quæ Pontificij contra media-
tam & immediatam vocationem vitam & scripta Beati nostri
Lutheri proferunt. De reliquis in ipso conflictū.

THEOREMA II.

*Friolæ sunt rationes, quibus Augustanam Confessio-
nem impugnare solent Papicole.*

1. Augiæ stabulum hic nobis expurgandum. Vix enim ul-
lum Argumentum Pontificij contra Augustanam Confessionem
proferunt quod non crasso quodam & insigni mendacio sit in-
spissatum.

2. Primo enim ita in genere argumentantur: *Quicquid est à Dia-
bolo, illud non est acceptandum & retinendum.* Confessio Augustana eius-
quæ doctrina est talis. E. Minor prob. Quia primarius Confessionis
autor & Protoplastes Lutherus aperte confitetur, se à Diabolo doctrinam su-
am accepisse: Allegant verba Lutheri in libello de privata missa:
Conigit me semel, inquit Lutherus, *sub mediam noctem subito experge-
fieri, ibi Satan mecum cœpit eiusmodi disputationem*; Audi, inquit,
Luthere, Doctor perdocte, nostin' etiam te quindecim annis celebrasse mis-
sas privatas pene quotidie? Quid si tales missæ privatæ horrenda essent ido-
lolatria? quid si ibi non adfuisset corpus & sanguis Christi, sed tantum
panem & vinum adorasses, & alijs adorandum proposuisses? Verum
mendacij pallium, ex varijs diversi coloris panniculis consu-
tum in medium adserunt, quod ubi excusserimus facilē quæ
sub eo latitant technæ atque fallaciæ conspicientur. Primùm
enim nuspian omnino fateretur Lutherus se Diabolo magistro
vsum esse, atque sic doctrinam suam ab eo accepisse nuspian hoc
facit. Monstrent verba literasq; quibus hoc grande nefas vel ad
speciem duntaxat fateri videatur. Quomodo enim is Diabo-
lum magistrum suum dicat, qui toties ad Deum doctrinæ suæ
verum autorem, provocat. At verò inquiunt, fateretur Lutherus,
Diabolum argumenta contraria privatam missam sibi opposuisse

ad



fiteri Magistrum? objicit Satan proditori Judæ quantum scelus
sit prodere Deum, ad quod miser ille respondere non potuit
sed argumentis illis Diabolicis convictus, desperavit, num ergo
Judas à Diabolo demum didicit proditionem illam scelus esse?
annon ex ore Domini sui audiit? Væ homini per quem tradetur
Filius hominis: & iterum, Juda: Filium hominis osculo prodidit.
Aliud ergo est, Diabolum habere Magistrum, & aliud est cum
eo congregari seu disputare, auditamq; approbare. Posterius hoc fa-
tetur B. Lutherus in libro de privata missa; prius ipsi affingunt
mendaciorum architecti, sine dubio ipsius Dæmonis instinctu.
Tentationem Satanæ expertus est Lutherus, non institutionem:
abominationes Missæ ipsi objecit Satan, quas Lutherus negare
non potuit. Nolunt hoc intelligere Esavitæ homines securi, &
non tentati, quos herus ille infernalis tanquam dilectos suos fide-
les in pace relinquit, ideo de temptationibus Lutheri judicare tam
apti sunt, quam asinus ad Lyram.

3. Secundum argumentum, quod solent proferre Pontificii, est
tale: Quaecunq; doctrina profecta est ab eo qui impudenter ipsos sanctissi-
mos & doctissimos Ecclesiæ veteris Doctores & Patres eorumq; doctrinam
velut suæ fidei & doctrinæ contrariam contemnit, illa non est fide digna.
Atqui Confessio Augustana ejusq; doctrina est talis. E. Minoris pro-
bationis gratia, protestationem Lutheri producunt, tom. 2. lat.
Witteb. ubi ait, Primum scire, contestatosq; esse eos volo, me prorsus
nullius, quantumlibet sancti Patris autoritate cogi velle &c. Quanti er-
rores in omnium Patrum scriptis inventi sunt? Quoties sibi ipsis pu-
gnant? quoties invicem dissentient? &c. Graviter imo
dictum est à Megalandro nostro, nihilque verius? Patres
vel cum scriptura consentiunt, vel à scriptura dissentiunt.
Ibi cum gratitudine sequimur. hic bona cum pace relinquimus.
Plus enim apud nos valere debet autoritas Dei, qui αληθης εν
εργῳ, εν λογῳ ut ait etiam gentilis Philosophus Plato 2 Poli quā
hominum, qui errore & falli facile possunt. Manet ergo hoc, Lu-
therum non contemisse S. Patres, quando cum scripturā con-
sentiantur sed quando dissentiantur. Frivolum ergo erit & hoc argu-
nū & cū. Sed ad alia.

Lutheranos Confessionem Augustanam Anno 1530, in Comitiis Imperialibus rejectam, vix armis & seditione adversus Cæsarem obtinere potuisse, ut Confessionem Cæsar acceptaret: Siquidem Mauritus Dux Saxoniae Carolum Cæsarem æniponto fugavit, & tandem anno 1552. magna cum violentia extorserunt novæ fidei libertatem in Passavia. Hæc autem quasi ex syngrapha nobiscum agunt Esavitæ, omnia autem impudenter mentiendo. Falsum enim est, quod Confessio Augustana in Comitiis illis solennibus fuerit rejecta. Acceptavit enim ea Carolus Imperator, reliquis Principibus legendam, tandem etiam Theologis Fabro & Eccio confutandam dedit, quæ Confutatio et si lucem ferre non potuit, ut Sleidanus historicus fide dignissimus, & autoritate Cæsareâ confirmatus scribit, tamen Apologia Augustanæ Confessionis occasionem dedit, quæ quidem recepta non fuit, publicè tamen oblata per Pontanum Cancellarium Electoralem, & posteâ typis edita, confutatione Romanensium æternis in tenebris sordescente, ut Lutherus loqui solitus est. Et qua fronte scribere possunt Pontificii Augustanam Confessionem in comitiis rejectam fuisse? Cum tamen Cæsar ipse eam à D. Beiero Consiliario Electorali oblatam clementissimo responso acceperit, se de toto negotio diligenter suscepturum cogitationes, & accuratè deliberaturum esse. Quam rem Lutherus magni miraculi instar habuit, quod etiam mandato Cæsaris Confessio Regis ad varios Reges atq; Principes mitteretur. Eant nunc Pontifici, & docere pergant, confessionem nostram in Comitiis Augustanis esse rejectam. Nam si hoc est rejicere, doctrinæ sacræ scripturæ privatas quasdam opiniones opponere, ut in confutatione Pontificiorum factum est, jam pridem Christi & Apostolorum doctrina rejecta fuit à Pharisæis & pseudo apostolis: ad quod exemplum nostram quoq; doctrinam à Romanensibus quotidie rejici neq; negamus, neq; curamus.

5. Quarto & hoc ore mendaci evomunt in Augustanam Confessionem: Mauritium laudatissimum Saxoniae Electorem, armis & seditione obtinuisse, ut Cæsar Carolus Augustanam confessionem acceptaret. Resp. Quod arma protuenda religione sumserit Elector, nos non negamus: sed legitima defensio non est seditio. Nam *cum religio*

velleretur & labefactaretur, Augustæ proposita confessio passionis aboleretur, & rebellionis obtento criminis vii mentibus & conscientiis afferretur, officii sui esse ratus est, laudatissimus Elector, recte parta legitime tueri: referētibus historicis fide dignissimis, Sleidano l. 9. & Thuano l. 9. Sicut ergo Macchaæbi absq; crimine seditionis religionē avitā contrā vim injustam defenderunt: Ita & seditionis crimen præter meritū imputatur justæ defensioni religionis, quæ contrā datam fidem, contrā jus & fas impetratur. Cogitent, quæso, Pontificii, quid faciunt, si quis decreta Concilii Tridentini (quæ humana saltē inventa sunt) apertis armis extingueret & ē medio tollere conatur, ecquid ergo vitio vertunt nostris heroibus, si pro ipso Dei verbo, quod in confessione Augustana repetitum est, acriter decertant contrā eos, qui collectis copiis & armata manu illud extirpare audent? Non quidem indiget verbum Dei hominum præfidiis, sed ne nobis eripiatur per violentiam, cautio[n]e ea opus est, quam & natura permittit.

6. Quinto & hoc objiciunt. Veræ doctrinæ initium Hierosolymæ fuit, non Augustæ; fidei Christianæ notarii fuerunt Apostoli & Evangelistæ, non Melanchthon; vera doctrina inde ab annis mille sexcentis annunciatæ, non demum Anno 1530. conflata est. Ergo nihil fide, nihil autoritate dignū in Augustana Confessione reperiri potest. At! quā frivola ac diluta hæc sunt omnia. Nemo n. unquam dixit, fidē Augustanam cæpisse Augustæ: neq; etiam Hierosolymis cæpit, quamquam, cum in universo mundo prædicandum esset, initiu[m] siebat Hierosolymis: Evāgeliū salis æternū appellatur, quod jā ab initio mundi in paradyso sonuit: ejus autē Confessio repetita est Augustæ, sicuti forte olim Niceæ, aut Constantinopoli in Conciliis. Neq; Melanchtonē dicimus notariū fidei Christianæ, sed Cōfessorem doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, sicut Athanasius & alii Patres in Symbolis conciliorum fuerunt. Neq; anno demum 1530. conflata est fides Evangelica sed quod semper in mundo fuit prædicatum, ad tempus autem moribus Pontificiis obrutum, id solenni in conventu Imperiis illo anno publicè repetitum.

7. Sexto & hoc urgere solent: Confessionem hanc pauci tantum obtrusere, utpote Iohannes Dux Sax, Elector, Georgius Marchio Brandenburgensis, Ernestus & Franciscus Duces Luneburgenses: Philippus Landgravius

Hassia:

li-
ut
ro-
io-
asi
n-
in
Ca-
m-
tio-
si-
gia-
ra-
E-
Et
nē
ei-
ac-
es,
ni-
Re-
ifi-
all-
cræ-
ta-
lo-
od-
diē
on-
se-
ret.
nos
sum
gio



halt. Legati item Norinbergenses & Reitlingenses. Et hoc est levis armaturæ argumentum contrà Augustanam Confessionem. Quid enim pucitas Confessorum præjudicari potest veritati? annon Christus ipse cum duodecim discipulis pauci & contemti erant in oculis Pharisæorum, num ergo Confessio discipulorum! Tu es Christus Filius Dei vivi; nullius erat autoritatis? Absit. Pontificius ergo & Pharisicus hic cavillus est. Notum esse debebat Pontificis tralatitium illud: *Multitudo errantium non facit errori patrocinium*. Scire deberent, quod & Canonistæ prudenter ac rectè statuerunt, in caussis religionis ac fidei Christianæ unius privati hominis sententiam præferendam esse, vel ipsius Pontificis opinioni, si meliore sacrarum literarum fundamento, quam Pontificis sententia nitatur.

THEOREMA III.

Nullis quoq; rationibus sat firmis probare queunt, quod Religio Lutherana falsa nec capessenda sit.

I. Multas rationes corrasit Lessius in Consultatione sua, quænam fides & religio sit capessenda? Nos propter pagellæ angustiā duo saltem generalia argumenta ad trutinam veritatis ponderabimus. Ex quibus satis luculenter patescit, tum argumentorum reliquorum vanitas, tum Esavitarum in concludendis absurditas. Primum ergo est: quæcunq; Religio licentiam peccandi introducit, illa Religio est falsa nec capessenda. At quæ Religio Lutherana licentiam peccandi introducit. E. Est falsa nec capessenda. Minor: prob per septem potissimum membra. (1.) Est, quia tollamus Confessionis sacramentum. (2.) Quia tollamus pœnitentiae virtutem, eo quod negemus contritionem esse necessariam, & pœnitentiam esse secundum post naufragium tabulam. (3.) Quia negemus satisfactiones. (4.) purgatorium (5.) obligationem pœnae temporali remissâ culpâ. (6.) Quia doceamus, solam fidem sufficere ad remissionem omnis culpæ & pœnae, nec aliud omnino requiri. (7.) Quia tradamus, habenti fidem specialem nullum peccatum imputari: unde infert, habendas laxari, ad omnia genera peccatorum, quia credens impanè posse peccare, tum nullum peccatum imputetur, ideoq; nihil ipsi timendum sit.

2. Verum



2. Verum enim vero, respondemus breviter ad *primum* mem-
brum probationis minoris; Nos Confessionem illam quæ fit Deo,
ut & illam quæ fit Dei ministro, minimè collere. Nam posterior
hæc meritò nostris in Ecclesiis retinetur, non tanquam necessa-
ria pœnitentiæ pars, aut velut opus meritorium aut satisfactori-
um. Sed (1) ob juniorum informationem. (2) ob privatas ad-
monitiones (3) ob conscientiarum perturbatarum consolatio-
nem. (4) Ob specialiorem remissionis certitudinem. (5) Ob debi-
tam hominis ad dignum σωτηρίας præparationem. (6) Ob pri-
mitivæ Ecclesiæ exemplum. Plenaria autem illa & singulorum
peccatorum confessio jure à nobis rejicitur iterum propter 6.
caussas. (1) Quia illa confessio nullibi præcepta. (2) Impossibilis;
Delicta enim quis intelligit? Psal. 19, 13. (3) Superstytiosa, quoniam
per illam ipsam recitationem articulatam, confitentem mereri
peccatorum remissionem, fingunt. (4) In primitiva Ecclesia non
erat in usu. (5) ansam præbet multis clanculariis sceleribus & flagitiis.
(6) Est pernitiosa, quia conscientiis laqueum injicit, eas miserè cru-
ciat, & in desperationem facile adigere potest. Atque sic videre
est, quamnam Confessionem tollamus, non illam, quæ fit Deo,
neque illam, quæ sit Dei ministro; sed plenariam illam omnium
peccatorum confessionem, quæ jam apud Pontificios in usu.

3. Quod attinet *secundum* probationis membrum. Resp. Ne-
cessitatem Contritionis nunquam negamus, neque negare pos-
sumus, quia est altera pars pœnitentiæ: quemadmodum Scriptu-
ra duo hæc pœnitentiam nimirum, strictè & μερικῶς pro con-
tritione positam, & Fidem semper conjungit, ut Marc. 1, 15. μετα-
νοῦτε πιστεύτε εἰς τὸν ἐυαγγελιόν: agite pœnitentiam & credi-
te Evangelico. Sic Luc. 24, 47. Oportet prædicari in nomine
Christi μελέτων pœnitentiam & remissionem peccatorum. Sed,
inquis; Lutherus ipse scripsit, *contritionem nihil professe, sed magis*
facere peccatorem. At verò Lutherus potissimum ibi intellexit vel
Contritionem Papisticam, cui adjuncta est opinio meriti & sa-
tisfactionis, vel consideravit contritionem seorsim, quatenus est
absq; fide: Tum n. non gignit salutarem conversionem, sed fle-
bilem hominis desperationē, ut patet exemplo proditoris Judæ.

Deinde, etiamsi pœnitentia non sit secunda post naufragium
tabula, non tamen propterea virtus ejus evacuatur. Conducit

jenim

rem consequendam. Ideò autem negatur esse secunda tabula,
quia hoc pacto planè tollitur baptismi efficacia.

4. Ad Tertium, Quartum, & Quintum probationis membra
respondemus. Illa quidem dogmata multum facere ad homines
terrendos & pecuniā mungendos, sed non sunt legitima media,
ideoque illa omnia merito rejicimus. Satisfactio quidem. Quia
(1) Christus perfecte non satisfecisset, cùm tamen & culpam &
pœnam omnem peccatorum nostrorum in se suscepit Esa. 53,5.
Jerem 31,34. (2) Christus non foret solus redemptor, quod est con-
tra dictum Esa. 63, 3. (3) Peccati remissio non foret mere gratui-
ta. Satisfactio enim opponitur gratia, (4) destituuntur & divi-
nis præceptis & promissis. (5) In veteri primitiva & Apostolica
Ecclesia non fuerunt tales, quales in Papatu usitatæ Purgatoriū
verò illud revera nullū est. Rationes damus has (1) Quia scriptura
de illo planè tacet, jam autem tacente scriptura, & nos racea-
mus, oportet. (2) Quia solum Christi meritum est peccatorum
expiatio & purgatio sufficiens (3) Beati modò dicuntur requi-
escere. Apoc. 14,13. (4) & esse in manu Dei Sap. 3, 1. (5) duo tan-
tum loca animarum in scripturis exprimuntur, nempe cœlum &
infernus. Neque remissâ culpâ remanet pœna temporalis. Quia
(1) si Deus peccata remittit pœnam nō immittit Rom. 8,1. (2) quia
pœna non nisi ratione culpæ dicitur; Ubi igitur nulla culpa, ibi
nulla pœna potest habere locum. (3) Quia remissio peccati ni-
hil est aliud quām condonatio pœnæ.

5. In Sexto probationis Membro minoris, committunt falla-
ciam & qvivocationis, dum ὁ μονύμως nostram sententiam pro-
ponunt. Sola fides dicitur sufficiens & ratione sui, quod sola exi-
stet, & ratione remissionis, quod sola sit medium, per quod pes-
catorum remissio confertur: Priorem sensum Papicolæ omnes
accipiunt, unde nata est communis calumnia de fide separata &
solitaria, ac si doceamus, peccata remitti per fidem à charitate
& omnibus bonis operibus sejunctam. Sed novisse debebant,
quod aliud sit Διάπεπτις aliud αΦάρεστις. Fidei Διάπεπτη à bonis
operibus profitemur, αΦάρεστη diffitemur. Neque etiam par-
ticula illa exclusiva opponenda est aliis causis justificationis &
remissionis peccatorum, quales sunt gratia Dei & meritum
Christi, sicut enim non sequitur solus oculus videt, ergo homo

n on



ta,
ora
nes
ia,
ia.
&
s.
n-
ui-
vi-
ca
riū
ra
ea-
m
ui-
n-
&
nia
ra
ibi
ni-
la-
or-
xi-
es-
nes
G-
ate
nt,
nis
ar-
S-
n-
no
on

Ita & negotiata matri en, tota nubes sumit ad re-
missionem peccatorum: Ergo non requiritur gratia Dei, & me-
ritum Christi. Utrobius enim crassa est oppositio causæ princi-
palis & instrumentalis, quarum alteram alteram ponit, non tollit.

6. Argumentum *Septimum* procedet ex falsissima hypothesi,
quā imaginantur sibi Papicola, veram fidem subsistere posse cum
crassis peccatis mortalibus. Hoc autem provenit ex alio erro-
re; quo fidem tantum definiunt per notitiam & assensum, unde
factum, ut Concilium Tridentinum fideles adulteros, fideles fu-
res & fornicatores agnoverit sess. 6 cap. 15. At meminisse debe-
bant, fidem salvificam potissimum esse fiduciam, vel fiduciale
gratiae & meriti Christi apprehensionem, quæ locum non habet
quamdiu homo ex malitia & plena voluntate peccat. Licet e-
num quidam glorientur de fide, tamen nisi facta carnis morti-
ficient, vera fide prædicti non censeantur. Hæc enim sine operi-
bus est fides mortua Jac. 2, 17. Quando igitur peccata credenti
non imputari dicimus, non intelligimus crassa, malitiosa & vo-
luntaria peccata (hæc enim cum fide justificante in uno subje-
cto & simul esse nequeunt) sed nævos involuntarios, ex infir-
mitate ortos. & per spiritum statim repressos.

7. *Secundum* generale argumentum, quod Pontificii & im-
primis Lessius proferre, solent, est tale: *Quæcumq; religio non est Ca-
tholica illa nec est vera nec capeenda.* At qui Lutherana religio non est
Catholica. Ergo Minor probatur. (1) *Quia ab autore suo nomen ac-
cepit & dicitur Lutherana.* (2) *Quia non sit toto orbe diffusa.*
(3) *Quia non duraverit jam inde ab Apostolorum temporibus.*

8. Resp. ad (1.) Non hæc invicem pugnant, dici Catholi-
cam ob universalem convenientiam cum scripturis, & Lutheranam ob
primum reformationis in Germania ministrum Luthe-
rum. Alias sequeretur Monachos ne quidem sensu Papistico dici
Catholicos, quia & hi ab auctoribus suis accepere nomina: dum
alii dicuntur Bernardini, alii Franciscani, alii Dominicani &c.
Deinde, etiam si non vocemur Catholici, sumus tamen Catho-
lici, quia nostra doctrina in universo mundo ab Apostolis es-
annunciata, ut probavimus in præcedentibus.

9. Ad (2) Resp. Nihil hoc derogat Catholicismo nostræ fi-
dei, quod doctrina Lutherana non sit toto orbe diffusa. Fuit nu-
olim tempore Apostolorū satis diffusa, etiam si nunc juxta Chri-

III & Apostolorum vaticinia in liturgias missarum. Alioquin
Ideoq; & hoc Pontificiorum argumentum erit stramineum,
nulliusq; ponderis.

10. Ad (3) & ultimum respondeo; Doctrina Lutherana,
utpote cum scriptis Apostolorum & Prophetarum consona, du-
ravit etiamsi nonnunquam latuit, & sub jugo Pontificiali ob-
scurata fuerit, quemadmodum supra demonstratum fuit.

THEOREMA IV.

*Transactio Passaviensis inviolabiliter est servanda,
quā libertas Religionis Lutherana concessa, nec Papa vel
Imperator Ius habent illam rescindendi.*

1. Obsarvatis scilicet conditionibus & capitibus Pacificatio-
nis Passaviana, quæ recenset Sleidanus lib. 24. quæ ibi vide. Hic
tantum videre placet Pontificiorum argutias & rugas dum scri-
bere, non verentur: Mauritium Electorem magnacum violentia novæ
fidei libertatem in Passavia impetrasse. Et hoc est, quod tantoperè
pungit Esavitas, quod modis omnibus extirpatum volunt, pactū
videlicet Passaviense de pace religionis, ne ulla cuiquam eo no-
mine fieret molestia: quæ quidem pars istius pacti fuit præcipua,
sed armis aut ulla violentia minime extorta, sed consilijs bonis
ex utriusq; partis consensu decreta. Ipse Ferdinandus Rex po-
stea Imperator, si credimus Cratoni à Craftheim, consiliario
eius intimo, Dubravij in hæc erupit verba: Inter summa, quæ Deus
in gubernatione Imperij mihi concessit, primum atq; maximum vero ani-
mij judicio hoc duco, quod ad sedandas discordias publicas animum adjici,
& pacificationis in religione formulam Deus mihi in mentem dedit. Ex
hoc videre est, optimum Imperatorem formulæ illius autorem
agnoscere Deum, tantum abest, ut vi extortam fateatur. Postea
in comitiis Imperii omnium statuum etiam Pontificiorū suffra-
gio & consensu confirmata fuit anno 1555. cum nullus esset am-
plius armorum motus.

2. Quin & legibus Imperii fundamentalibus, quā capitulationē vocant,
inserta, etiamnum in Electione novi Imperatoris repetitur & confirma-
tur, quin & novus Imperator ad ejus observationem obligatur, qua de re
plura dicere hujus loci non est.

3. Utinam de pacto illo conservando cogitarent Esavitæ, nihil sanè magis
ad servandam pacem Imperii, & libertatem Germaniæ conduceret. Sed dū
illud modis omnibus rumpere laborant litem ex lite ferentes sua fraudu-
lentia se jam toti orbi Christiano, ne quidem candidis & cordatis Pon-
tificiis exceptis, infames reddiderunt.

DEO SOLI GLORIA.



05 A 718

ULB Halle
003 767 40X

3



VDA 7

QJ






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-583836-p0024-8

DFG

Farbkarte #13



B.I.G.

SYSTEMATIS THEOLOGICI PARTEM

Primam Generalem,

DE RELIGIONE ET EJUS ARTICULIS

Generatim consideratis

DISPUTATIO IV.

De

ARGUMENTIS PAPISTARUM, QUÆ

RELIGIONI LVTHERANÆ IN GE-
NERE OPPONUNT.

Quam,

SUB AUSPICIO SS. TRINITATIS

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Th. D. & Profess. publ.

Placidâ συζήτει ventilandam exhibet

M. BALTHASAR BALDUINUS

Dresdensis Misnicus.

Addiem 31. Augusti horis pomeridianis,
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ,

Excusa Typis JOHANNIS GORMANNI,
ANNO M DC XXV.